Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift



nullaq; uice dimittendi sit cum uno solo magistro. Et quia sessio in
claustro ita est ordinata. ut pueri sedeant prope murum. magistri
in cancellis claustri. et ita ut eos possint iugiter intueri. Per medium eorum
nullus est omnino qui audeat transire. Ubicumque fuerint quantumlibet
locus sit angustus. et quantalibet sit fratrum multitudo. tamen omnes
cauent ita eis appropiare. ut uel tangatur ab aliquo uestis eorum. Et ut
tandem de ipsis pueris concludam. sepe numero uidens quo studio die
noctuque custodiantur. dixi in corde nostro. difficile fieri posse. ut
ullius regis filius maiore diligentia nutriatur in palatio. quam puer quilibet.

Fratres qui est huius De iuuenibus et eorum custo minimus in cluniaco. dib.
etatis ut adhuc custodia indigeat. et si ultro seculo renunci
auerit. et optime sit opinionis. minime tamen custodia carebit.
Et idcirco laicus nisi tam pueri etatis sit. ut sine custodia esse
possit. neque scolaris puer in claustrum suscipitur. Si res ita exigit.
ut nullomodo sibi ingressus denegari ualeat. ad aliquam cellam mit
titur. quousque ad intelligibilem etatem perueniat. Si illi maxime
qui nutriti sunt in monasterio si in moribus uiri esse noluerint.
uirilis etas nichil eis profuerit ut a custodia soluantur. In qua
qui positus fuerit primum in dormitorio lectus eius est prope lectum custo
dis sui. ad quem absque illo nec accedit nunquam nec recedit. In
nocte uero quocumque incesserit. uel etiam ante copulam si solito serius
fuerit. uel post sonitum si adeo mane erit. ad mandatum quoque
si ea indiget. sicut sepe in hieme contingit. portat ante se
laternam custode prouidente ut candela habeat semper. In re
fectorio eam extinguit et super scabellum pedum suum ponit.
Ibi semper ita intermixti esse debent iuuenes. ut inter duos iu
uenes alii duo fratres sedeant. ea scilicet causa. ut si forte